DISPUTATIO
de
ANNULO TRINITARIO,
vulgò
Dreyfaltigkeits-Ring;



quam

PRÆSIDE

DAN. GUIL. MOLLERO,

Comit. Palatin. Cæs. & Prof. Publ.

defendet

JOH. FRIDERICUS KERNIUS,


Schleussinga-Hennebergicus.

ALTDORFI An. 1701. *d. 19. Novemb.*

H. L. Q. C.

Denuo recusa 1702.





PROOEMIUM.



Nnulos undecunque *tandem &* quandocunque *ortos ingenium deinceps mortalium, impregnante id maxime luxuriâ, haud uno elaborare modo contendit. Nam ut nihil jam dicam de varia eorundem materia, forma & figura, cui quæso Eruditorum ignotæ esse queunt multiplices illis ipsis superadditæ scalpturæ, scEturæ, signaturæ & cælaturæ, quibus quidem nudæ duntaxat literarum quarundam formæ primùm sunt delineatæ, pôstea verò, gemmis etiam adscitis, desitæ literæ, sculpiq; alia varia cœperunt: Effigies puta vel alicujus de Majoribus, vel de Amicis, vel ipsius Cæsaris, præterea brutorum animalium figuræ, nec non ænigmata, & quæ quisque vellet* ἀποσφραγίσματα; *quin & Deorum imagines in iisdem fuisse repræsentatas* Plinius H. N. lib. 2. c. 7. *memoriæ prodidit:* Pythagoræ *nibilominus symbolum fuisse*, ἐν δακτυλίῳ εἰκόνα θεȣ̃ μὴ περιφέρειν, *i. e. In Annulo Imaginem Dei ne circumferas, ab haud uno Autore asseritur: Unde* Macrobius *etiam* Saturnal. l. 7. c. 13. *perhibuit: Atejum Capitonem Pontificii juris inter primos peritum sancivisse, nefas esse, Deorum formas annulis insculpi. Certe* Seneca *pariter autore constat; quendam accusatum esse reum læsæ Majestatis, quod ea matulam apprehendisset manu, qua gemmam gestabat Imperatoris imagine signatam. Quid autem quæso de tali homine pronunciatum vel statutum esse debuit, qui simile quoddam vasculum manu apprehendit Annulo imaginem Dei alicujus in se continente decorata. Ceterum præter varios, quibus Annuli omni tempore destinati sunt, usus atque fines;* diversa etiam ad Symbola exprimenda *eosdem fuisse adhibitos, hinc inde ex Historia potest comprobari: quæ inter primarium facile dixerim*

A 2 *illud*

illud esse; quando Annulus symbolum fuit, estque etiamnum Æternitatis: *Sicuti enim is per omnes sui partes æqualis est, principio & fine carens; ita etiam Æternitas non nisi unica & interminabilis est duratio, neque finem habens, neque principium; est enim in se ipsa semper eadem & uniformis, neque reperire in ea est aut præteritum, aut futurum, cùm nulla temporum circumscriptione definiatur, semperque existat, & nunquam non exstiterit in rerum natura. Quod tamen ipsum quam longissime dicendum fuerit superari, à recentiore quodam ab* Annulo mirabili *superiori demum seculo invento, Symbolo desumto*, quo ipso S. Trinitatis mysterium *inscrutabili quadam & inexplicabili prorsus ratione* dicitur adumbrari. *Atque ejusmodi de Annulo disputandi cùm haud ita pridem* Eximium ac Doctissimum Dn. Respondentem *cupido incessisset, nolui, eadem intellecta, qualicunque mea ipsi deesse opella, quin potius, quantum temporis & publici & privati officii labores permittebant, sequentes in paragraphos distincta, si non ex asse, aliqua tamen ex parte, voto ejus modestissimo respondere. Proinde sit in Sancto Nomine JESU*

§. *I.*

ANnuli vox an à *gr. ἀνειλέω, contr. ἀνειλῶ*, i. e. *evolvo, obvolvo:* an *à lat. An*, h. e. *circum*, veluti *Eggebert. Schaumius in Collectan. de Annulis cap. 2.* tradidit, Annulorum, inquiens, derivatio, ab *An*, particula, quæ *circum* significat, petitur: Veteres enim *An* pro *Circum* ponere consueverunt, ut *Cato in Originibus; An terminum*, i. e. circum terminum & *Ambire* dicitur pro *Circumire*, vid. *Macrob. Saturnal. l. 1. c. 14.* an ab *Annus*, veluti *Isidorus Origg. l. 5. c. 36.* Annulus quasi annuus, i. e. circulus, quod in se redeat. *Anus* quippe, ait *Vossius Etymolog. LL. fol. 33. col. 1.* sive, ut posteriores scripsere, Annus, proprie notat circulum, ab *An*, i. e. *circum:* indeque ὑποκοριστικὸν *Annulus*, sive, ut Veteres scribebant, *Anulus.* Veteres namque non geminabant consonantes, ut præter alios docent *Fabius lib. 1. cap. 7. & Festus de V. S. in Anus.* Philologos inter uti controvertitur, ita meum hac vice non est, eorum lites vel dirimere

mere, vel componere: Si tamen aliqua mihi amplectenda foret derivatio, næ Græciæ potius, quam Latio eam vindicare laborarem.

II.

Homonymicis & Synonymicis Annuli significationibus longa serie exponendis tanto libentius supersedeo, quanto majore cura in iis Autores plures jam pridem occupatos fuisse constat: Non abs re tamē fore arbitror, si aliqua, & quidem seqq. cum voce germanica Ring coalescentia heic compareant nomina: A,b,c. ring/Annulus Abecedarius: Achsenring / circulus ferreus axis: Achtering / Hemina species mensuræ: Agtsteinring / Annulus è succino: Augenringe / Irides oculi: Aussöhnungsring / annulus reconciliationis: Batenring / annulus lustricus: Beckenring / annulus pelvis: Beinenerring / annulus osseus: Braut- Trau- oder Vermählungs-Ring / annulus pronubus: Creutzring / annulus crucis insigni præditus: Daumenring / major annulus aureus pollicis: Demantring / annulus adamante inserto fulgurans: Doctorsring / annulus Doctoralis: Dratring / annulus ex filo vel aureo, vel argenteo, &c. factus: Elends- sive Krampfring / annulus ex ungula alcis contra spasmum: Eyerring / annulus sive circulus ex farina & ovis pistus: Fleischring / annulus, sivè, circulus ex quo caro pendet: Flußring / annulus catarrhos abigens: Galgenring / circulus catenæ ferreæ ex qua fur pependit: Gedenck- Denck- sive Gelenckring / annulus memorialis, sive articulatus duplex, triplex, quadruplex, quintuplex: Gedrehter Ring / annulus tornatilis: Gesellschafftsring / annulus societatis symbolicus: Geschmeltzter Ring / annulus operis encaustici: Glatter Ring / annulus lævigatus & expolitus: Hand- treuring / annulus complicatas manus exhibens: Häriner Ring / annulus ex pilis humanis, vel seta equina plexus: Halßring / columbar: Halßbandring / millus: Haupt- sive Kopfring / arculus, arcellus, cesticillus, circulus capiti impositus ad onera sustinenda: Hauptring / annulus elegantissimus & pretiosissimus: Helffenbeinerner Ring / annulus eburneus: Hembdring / fibula indusii: Henckersring / circulus, quem milites circa delinquentem in executione claudunt: Hutring / uncinus auriculæ pilei: Jesusnamring / annulus literis IHS. insignitus: Jungferring / annulus virgineus: Kastenringe / manubria & ansæ arcarum, cistarumque: Kesselring / climacter, de quo lebetes & ahena suspenduntur: Kettenring / annuli torquium: Kreidenring / vel, Sauffring / circulus creta in mensa ductus pro symbolo compotatorum: Lumpenring /

ring / annulus levis vilisque: Magisterring / annulus Magisterialis: Mariä Hilffring / annulus auxilii Mariani: Mittelring / annulus mediocris pretii: Mönchsring / sive, Mönchskrantz / corona monachalis: Namensring / annulus cælatus literis nominalibus: Nasenring / rhinolabis, pastomis, camus: Netzring / paxillus retis: Ohrenring / inauris: Petschirring / annulus signatorius: Pfandring / sive, versetzter Ring / annulus pignori datus: Preßring / annulus, sive, circulus torcularis: Rauttenring / annulus rutiformis: Ritterring / annulus equestris: Rubinring / annulus rubino rutilans: Schlagring / sive, Uhrring / annulus horarius: Schnabelring um der Vögel Schnäbel / orbiculus rostri avium: Strohring / circulus stramineus: Schuhring / fibula calcei: Spielring / annulus terræ infixus, per quem globus mittitur: Taubenring / circulus janthinus in collis columbarum: Thürring / cornix, sive, annulus quo pulsantur fores: Todtenkopffring / annulus capitis mortui emblemate spectabilis: Turnierring / annulus de longurio annulari dependens in certamine equestri: Vexierring / annulus, pro variæ circumrotationis modo, oculis hominum imponens: Vor- sive, Fürhangringe / annuli velares, cortinales: Wappenring / Signum, sive, annulꝰ cui insignia sunt insculpta: Waxring / cereus circulari forma complicatus: Wunderring / annulus miraculosus, magicus, medicatus Zauberring / annulus præstigiatorius: Zaunring / circulus sepimenti: Zirckelring / circulus descriptus: Zwerchring / annulus obliquus.

III.

Nobis ea Annuli heic arridet significatio, qua *tùm* digitalis, *tùm* alius quivis circulus innuitur atque exprimitur. Et quidem *priorem* juxta significationem: Annulus est circulus digitalis, ex varia materia, præcipue autem aurea, factus, nunc gemmâ palæ inserta pretium augens, nunc eadem omissa, amittens vel saltem minuens, atq́ nunc ornatum manui, nunc autoritatem, nunc indicinam dignitatis homini gestanti eum concilians, nunc mala quocunqe modo resultantia averruncans, nunc alios quoslibet usus subministrans. Juxta *posteriorem* interpretationem: Annulus est circulus quivis ex quacunque materia, quomodocunque & in quemcunque finem elaboratus, ex cujus centro omnes lineæ ad peripheriam ductæ sunt æquales.

IV.

Trinitas, græce τριάς, à Personarum in divinis numero nomen videtur accepisse: Etsi enim vocabulum Trinitatis, inquiente

Conra-

Conrado Dieterico in Institut. Catechet. Loc. de Deo, p. m. 268. totidem syllabis in Scriptura, secundum literam, quoad verba, sive expresse, non extat, habetur tamen in eadem quoad rem, secundum sensum implicite & necessaria consecutione. Habetur sane in Scriptura vocabulum TRES, *1. Joh. 5, 7.* Ergo, ex natura Conjugatorum, *Trinitas* inde legitime infertur; sicut ab Uno unitas. Adde, quod Trinitatis adhibetur vocabulum, non, quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit. Quid quod, propter hæreticorum fraudes & sophismata, necessario usurpandum.

V.

Ex substantivo *Trinitas* formatum est deinceps adjectivum *Trinitarius, a, um*, rarius licet apud Autores obvium, non tamen penitus ex Rep. literaria eliminandum. Uti enim aliàs etiam *Antitrinitarii* dicti fuere hæretici, S. Trinitatem Personarum in una essentia divina negantes, & vocabulum Trinitatis prorsus expunctum cupientes; ita non absimili modo, significatione autem adversa, & omissa græca præpositione ἀντὶ, Trinitarium posse apellari annulum, Trinitatis mysterium qualitercunque adumbrantem, facile mihi persuadeo.

VI.

Præter Patres Ecclesiæ & Theologos Christianos, raro videas ab alio quopiam Autore, strictiore quidem illo in significatu Theologico, vocem Trinitatis esse usurpatam. Aliàs verò in Botanicis, Chymicis & Physicis nonnunquam vocem illam, ad rem aliquam abstrusiorem & viribus excellentioribus præditam denotandã adhiberi, negari nequit: quin & in Geographicis vocem Trinitatis haud infrequentem esse, ex tabularum hujusmodi inspectione liquido apparet: nota enim est *Trinitatis Insula* in mari boreali, prope ostia fluvii Orenoci, in sinu Pariæ, ob copiosam unionum præstantissimorum piscationem celebratissima: nota etiam est Urbs *la Trinitad* vulgo dicta, in Guatimalæ provincia florentissima: nota denique est *Trinitatis Insula* spatio haud adeo ampla, montuosa & deserta, in mari Brasilico sita.

VII.

Profunditatem mysterii S. Trinitatis nonnulli Autores adumbraturi, Simile a puerulo quopiam, mare in alveolum ad littus forte effossum transfundere laborante, desumserunt: quod ipsum, ut eò melius pateat, verba juvat adscribere *Thomæ Cantipratani, de proprietatibus*

prietatibus Apum part. 3. lib. 2. cap. 48. ut ut prolixiora: Eo tempore quo B. Augustinus librum de Trinitate composuit, illi tale miraculum Deus ostendit: Hipponensis civitas Africæ nobilis, in qua B. Augustinus Episcopatum administravit, super littus maris pulcherrimè sita erat. B. autem Augustinus in consuetudine habebat, ut post divinum studium & laborem, vespere super littus maris, sequentibus à longe Episcopis & Clericis, qui pro consilio & negotio universalis Ecclesiæ eum frequentabant, solus antecedens deambularet, ne scilicet ejus contemplationem aut studium colloquentium fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus incederet, puerulum miræ pulchritudinis ibi sedentem invenit, qui facta in terra fossa parvula, (sicut pueri in plateis ludentes solent,) cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam parvam fossam effundebat. Quem ut B. Augustinus ita speciose sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit: procedens inde puerum salutat, & inquirit, quid agat? & puer serio respondit: Volo, inquit, totum istud exhaurire mare, & isti fossæ, si possum, infundere. Quo responso, quasi puerili, Vir sanctus in risum decentissimum solutus respondit: Et quomodo, ô bone puer, hoc poteris? ingens est mare, & parvum cochlear quo hauris, fossa parvula in quam fundis. Et mox puer: *possibilius*, inquit, *mihi est hoc facere, quod intendo, quam te implere, quod cogitas.* Ad hoc B. Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, interrogat; Et puer; *cogitatu*, ait, *volvis, & æstimas volumine brevi concludere, quid sit illud individuæ Trinitatis inexplicabile sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossæ parvulæ potius maris undas infundam* Hæc dicens, puer repente disparuit. B. vero Augustinus Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerit, mox advertit: Siquidem cùm prius eos libros in Pisanis montibus juxta Centumcellas inchoasset, diu distulit, priusquam summam manum iisdem immitteret, quod non fecit nisi ætate jam adulta & graviore. Eo autem loco, ubi supra scriptum miraculum contigit, extat adhuc Sacellum cum domo Eremitica perantiquum, ubi in lapide excisa & pene exesa leguntur hæc:

Sive Viator es, sive Inquilinus:
Eremiticam venerere domum, venerere sacellum,
Ubi præfulgidum illud Ecclesiæ lumen Augustinus
Egregium de Trinitate Opus inchoavit:

Quod

Quod mirifico cœlestis Pueri, juxta Bertholdi
Littus sibi apparentis, oraculo intermissum,
In Africa tandem senex absolvit.

Uti autem hoc unqvam vere contigisse nondum à fide quodam digno Autore satis probatum est, ita Sacellum etiam cum domo Eremitica nec non lapidi incisa Scriptura hodie adhuc, ceu fertur, extantia, miraculum tam ingens adstruere firmiter nequeunt. Neque *Cantipratani* etiam moverit quempiam testimonium, quippe quem pluribus mendaciorum centonibus scripta sua refersisse constat: hincque eximium juxta *J. G. Dorschei in Hodogetic. Catholic Antikirch. prælim. p. 275.* judicium: Inter Apes Thomæ Cantipratensis *Fucos fuisse & Mendacia* in propatulo est.

VIII.

Ceteroquin multiplices mysterii hujus profundissimi abyssum, si non penitus exhaurientes, aliquadantenus saltem repræsentantes adumbrationes hinc inde esse desumtas, nemo nisi plane hospes rerum sacrarum inficiabitur. Atque ut Symbola & Typos pro declaranda & inculcanda S. Trinitate à quamplurimis excogitata quam plurima hac vice prætercam, *solius Fabricæ Templi Ezechielis, c. 40.* à Deo repræsentati heic facere placet mentionẽ, cujus structura sane admirabilis similitudinem aliquam expressisse videtur SS. Trinitatis: Siquidem *Joh. de Carthagena, Hispano, libro I. de Arcanis SS. Trinitatis homil. 7.* perhibente, Templum illud in *tres partes* dividebatur, quarum *prior* locus erat vulgi; *secunda* atrium exterius, sive sanctuarium; *tertia* atrium interius, Sacerdoti summo & Sacrificiis deputatum: erantque ita disposita hæc loca, ut *primo secundus, tertio* priores clauderentur. Erant rursus cuilibet atrio *tres portæ*, quarum *una* Orientem, *secunda* Meridiem, *tertia* Aquilonem respiciebat. Denique erant *tres* muri, & *tres* porticus, quarum *una* erat mensura. Qua mystici Templi repræsentatione, *Dei*, cui illud consecrabatur, *natura adumbrabatur, & personarum trinitas ac æqualitas* significabatur, ut quicum trinus sit in personis, tamen, ut vere *Athanasius*; qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. estque omnium eadem divinitatis immensitas & natura; neque in unius cognitionem devenire possumus, nisi omnium personarum originem perquiramus. Igitur Templum istud toties *ternario numero exornatum*, Deo, qui trinus est in personis, consecrandum fuit.

IX.

In symbolis autem Trinitatis mysterium quocunque modo assimilantibus recens demum inventis, *Annulum* quoque *triplicatum* Noribergæ hos circiter ante triginta annos ab Aurifice quodam confectum, locum obtinere, plerisque haud segnibus illius contemplatoribus erit notissimum; quippe qui S. Trinitatis titulo condecoratus, adhuc hodie cum omnibus ad formam normamque ejus ex quacunq; materia elaboratis annulis, germanice Dreyfaltigkeitsring / solet appellari: qua quidem voce germanica licet non tam triunitatem, quam triplicitatem, accurate loquendo, sciam denominari, nomineque Dreyeinigkeit rectius & convenientius illam exprimi posse, negare nolim, attamen verbis usu invalescentibus, cum vulgo loquendum, cum eruditis vero & sapientibus sentiendum esse, ratio suadere & experientia ipsa comprobare videtur.

X.

Est igitur ejusmodi *Annulus Trinitarius* circulus triplicatus, varia amplitudine, nunc majore, nunc minore præditus, ex varia etiam materia, præcipue eburnea, aurea, argentea, quin & ex orichalco, buxo, lignoque, tam affabre & artificiose elaboratus, ut sine minimo ullius mutui contactûs indicio, admirabilis trium diversorum annulorum sibi invicem implexorum, seriatim involutorum, & undosæ in modum circumflexorum structura conspiciatur, ad S. Trinitatis mysterium aliquadantenus delineandum excogitatus. Cujus quidem schema, ut eò melius fabrica annuli mente concipi queat, in frontispicio statim disputationis hujus oculis lectoris est subjectum.

XI.

Quis trilicem talem Annulum omnium primo in orbe isto fabricarit, juxta cum ignarissimis scio. Rumore quidem nuntio quod accepi, si dicendum est, *Jesuitæ cuidam Ingolstadiensi, Schereri nomine claro*, prima ejus inventio tribuenda foret, utpote qui Matheseos studiis curiosius excultis, εὕρημα tandem hocce mechanicum in publicũ fertur protulisse: Idcirco Ingolstadium forte peregrinantes quidam Nobiles, sive Comitum dignitate illustres duo Poloni, ære grandiore eum sibi ibidem comparatum Noribergam deferentes, ibique eundem Viro cuidam Nobili, *Ferdinando* Taliensteker / incolæ tum Noribergensi, & rerum artificiosarum non minus, ac aliarum quarumvis rararum curiosarumque valde gnaro, ceu portentum aliqud

&

& inventum prorsus stupendum ostendentes, sciscitati sunt simul, an aliquis Noribergæ Artifex reperiri posset, qui similem Annulum efficere auderet, pretio XII. Imperialium solidorum in laboris compensationem oblato. Talienschker ille simpliciter neque negare, neque affirmare sustinens quæsitum, pactum tamen cum dictis Polonis tale inivit: nempe ut Ratisbonæ ab illis per aliquot ceu recipiebant, hebdomadas commorantibus, Annulus, si forte Noribergæ factus fuisset, acceptus, promisso illo pretio redimeretur.

XII.

Talienschker ille, haud diu cunctatus, librum aliquem, in quo typus annuli hujusmodi delineatus cernebatur, ad *Joh.* Heel / *Aurifabrum Noribergensem, virum in arte non tantum sua, sed aliis etiam quibusvis abstrusioribus scientiis versatissimum*, detulit, eumque interrogavit, an ad illius exemplar annulum talem triplicatum sibi sumeret efficere? qui curiosius typo inspecto, & in consilium simul adscito *Alberto Gözio*, Aurifabro itidem Noribergensi suæ artis gnarissimo, elaborationem annuli istiusmodi in se recepit: qua tandem paucos intra dies feliciter ad finem perducta, non majus operæ in annulum efficiendum insumtæ pretium, præter quidem auri valorem, ex quo is fuerat conflatus, quam *trium florenorum* à Talienschker paulo ante commemorato se accepisse, ipse adhuc vita fruens Heel profitetur.

XIII.

Quo potissimum tempore Annuli dicti inventum contigerit, mihi profecto incompertum est, quod enim peregrinantium quorundã relationem attinet, quasi jam An. C. 1640. Berchtolsgadæ, vel Anno 1660. Ingolstadii copia talis annuli curiosis facta fuerit spectatoribus, nudum præter rumorem haud aliud videtur habere fundamentum: Noribergæ autem Anno demum 1670. à jam nominato illo Heel / annulum occasione & ratione exposita fuisse concinnatum, ipso adhuc artifice superstite vivum perhibente testimonium, certissimũ est. Quem non multo post *Stephanus* Zick / *civis Noribergensis tornandi artis peritissimus, & ob nuper adeo curiosam operosamq́; Oculi humani secundùm singula sua contenta particulatim exponi conspiciq́; apta ingeniose confectam machinam, X. Imperialibus vulgo vendi solitam, fama notissimus*, ex materia quoque eburnea tornare aggressus, feliciter tandem effectum dedit, annulo quolibet primùm 6. Imperialibus, deinde vero totidem florenis divendito.

 XIV. De

XIV.

De cetero, quod ad illam relationis attinet circumstantiam, nempe *Polonos Ingolstadii Annulum sibi comparasse*, nonnulli Noribergæ emtionem eam assignantes, inquiunt, Polonos illos Noribergam delatos, post varia ibidem perlustrata *Ceimiliarchia*, tandem ad Mercatorem aliquem, cujus nomen oblivione jam contritum sit, pervenisse, qui inter alia curiosis ipsorum oculis exposita, Annulum quoq; talem aureum, vetustioris, ceu quidem videbatur, operis, neq; à se magni adeo habitum ipsis monstravit, quem vero illi intentius paulo intuiti, desiderio ilicet ejus potiundi flagrare cœperunt; hincque tanta eos pecunia, quantam auri pondus, levius quidem illud, exigebat, eum redimentes, ad dictum illum Talienschker detulisse, & de similis Annuli fabrica pactum, ceu antea traditum, cum ipso inivisse.

XV.

Materia, ex qua Annuli tales sine magna opera hodie fiunt, est aurum ac argentum: ex ea enim facilius confici posse dicuntur, quam ex ebore tornari, siquidem filum unius frusti, ex auro sive argento ductum, sine magna difficultate, in tres tales plicas undosas potest redigi, & circumvolvi, dummodo extremitates, in quibus affabre coagmentandis maximum consistere solet artificium, rite sint connexæ, ferrumineque probe consolidatæ: Ita enim ex ipso Artificis cujusdam ore accepi: Die gůldene und silberne Dreyfaltigkeitsringe werden nicht aus dreyen Dråten sondern nur aus einem Drat / und zwar aus einem Drat von einer Långe / ineinander dreyfach geflochten und geschlossen / dergestalten / daß kein Theil das andere berůhrt: und besteht die gröste Kunst meistens darinnen / daß man die beede Ende also wisse zusammen zu löten / damit die Lötung nicht leicht könne gesehen noch gemercket werden.

XVI.

Præter materiam nunc descriptam, ex *Ære* pariter, *Ferro, Ligno*, maxime *Aceris* aut *Buxi*, similique consistentiore, solidiore & firmiore massa Annulos hujusmodi esse fabrefactos, ratio non minus, quam ipsa testatur αὐτοψία. Accedit, quod ex *Orichalco* pariter structuram illius tentatam feliciter successisse, Annulus ille sufficienter demonstrat, qui ab *Eimarto, Viro sane excellentissimo, & in Astronomicis præcipue, nec non aliarum scientiarum artiumque studiis, sine pari, versatissimo*, hodienum possidetur. Quin & ex *chalybe*, difficilem quidem

haud

haud tamen prorſus impoſſibilem ejusdem confectionem fuiſſe, exemplo ſuo comprobat *Johannes* Heel / major natu filius cognominis Patris ſupra citati, nunc *Berolini*, in media Marchia Brandeburgica ad Sprevum fluvium ſita, urbe, ſedeque Regis Pruſſiæ, agens, atque artem, quam aurifabrilem optime didicit, egregiis illuſtrans ſpeciminibus.

XVII.

Primus, qui nomine germanico Dreyfaltigkeit Annulos hujuscemodi inſignivit, fuiſſe dicitur *Sigismundus à* Bircken / aliàs etiam *Betulius* dictus, Comes Palat. Cæſar. elegantioris vir ingenii, & ob egregia in Remp. Literariam, præſertim amœniorem illam Poëticam & Hiſtoricam, merita, omni laude digniſſimus: Is enim cùm Annulum curatius videndo videndi, & perpendendo perpendendi deſideriũ ſuum accendi identidem acuiq; animadvertiſſet, ad vocem demum illam germanicam, pietate ſine dubio duce, Annulo non tantum applicandam, ſed myſticam etiam ejusdem rationem explicandã animum induxit, quam novam nomenclaturam latius, ut fieri in his talibus plerumque ſolet, ſe ſe diffundentem, vulgus tandem quoque avide arripuit, atque uſu non interrupto, in hoc usque tempus conſervatam propagavit.

XVIII.

Quæ ipſa deinde appellatio cauſa fuit, ut idem ille *Sigismundus* Generoſum quendam Illuſtris Reip. Nor. Senatorem ſibi devincturus, Rhythmos inſuper quosdam germanicos concinnaverit, exegeſin quaſi aliquam & illuſtrationem novæ ſuæ Annulo factæ vocis impoſitionis in ſe continentes, qui ut heic etiam compareant, haud eſſe incongruum putavi, ſuntque ſeqq.

Hier dieſer Ring dir weiſt /
minus autem recte, Hier dieſer Ring der weiſt /
Wie Drey in Einem heiſt /
GOtt Vater Sohn und Geiſt.

Vel, ceu aliàs etiam expreſſi leguntur:

Ein Ring in Dreyen weiſt /
Wie Eins in Dreyen heiſt
GOtt Vater / Sohn und Geiſt.

*

Schau hier der Gottheit Bild iſt Eines und doch Drey /
male legitur: in Eines und doch Drey /
Iſt Drey und Eines / doch kein Anfang iſt dabey /
Die Runde weiſet dir / daß Sie ohn Ende ſey.

Drey Ringe du in Einem siehest/
und keiner rührt den andern an:
Da dieses/ (ob du dich bemühest/)
nicht dein Verstand erreichen kan:
Drum magst du dich der Frag verzeihen/
Wie GOtt könn' Eines seyn in Dreyen?

Vel, ceu aliàs etiam proferri solet:

Darffst du dich dann deß Fragen zeihen/
wie GOTT kan Eines seyn in Dreyen?

XIX.

Mihi pariter Annulos ejusmodi ad animum revocanti, rhythmosque adductos perpendenti, Disticha quædam, casu magis & sub manu, quam longiore meditatione nata sunt seqq.

Annulus hic clare probat, esse uno in, tria posse:
Unus cur nequeat trinus & esse Deus?

Trinum me faciens manus Artificis sapientis
Annulum, in uno sum trinus & unus idem.

Annulus edocet hic, unus, si forte requiris,
Personis tribus in qui queat esse Deus?

Annuli ut en tres sunt, ast est tamen Annulus unus;
Sic tres Personæ sunt, Deus unus at est.

Annulus hic triplex uno ut concluditur orbe;
Sic Pater, & Gnatus, Spiritus unus & est.

XX.

Spurios inter, adulterinos, perperam factos, & specie sua externa oppidò imponentes illos retuleris Annulos, qui gemina tantum annulari serie, re ipsa distincti, triplicem tamen intuentibus annulorum se orbiculatim sine ullo contactu involventium & includentiũ figuram repræsentant. Cùm autem ex solo, accuratissimo etiam intuitu, fallacia hujusmodi & impostura dignosci haud queat, ratio aliqua inventa est, cujus ope haud difficile est, in genuinam annuli pervenire structuram: Nimirum ad punctum in una Annuli serie, vel cerussa, vel atramento, vel rubrica, vel alio quovis modo notatum filum

lum alligetur, idque inde per totum annulum eadem ſerie circumducatur, donec idem punctum, à quo initium ductûs factum eſt, rurſus contingat: deinde ex juxta ſive ponc ſtatim ſequentis annuli ſerie idē illud filum per totam annuli ſecundi peripheriam circumagatur, donec ad ſpatium illud redierit, unde initium ſecundi ductus ſumtum eſt: Denique ex tertia annuli ſerie ductus fili repetitus, ad terminum in tertio annulo fixum remeabit. Ultra tres ejuſmodi fili ductus, ſi quarta etiam vice, ex inſequente ſtatim annuli articulo idem filum eſſet protrahendum, non ad quartum à ſemel dato puncto articulum, ſed ad primum illud primò aſſumtum punctum reverteretur, indicio ſane certiſſimo & infallibili, nec plures, nec pauciores, tribus, eſſe annulos mutuo ſibi innexos & implexos.

XXI.

Circularis hujusmodi Annulorum ambitus valde diſpar eſt: nunc enim digitali reſpondet amplitudini, pro digitorum eidem inſerendorum craſſitie; nunc diametro latiore præditus majus ſpatium abſolvit; nunc in hanc vel illam capacitatem excurrens, orbitam ſibi ſimilem conſtituit, nunc alio quovis ſpatio patens iſtam vel aliam peripheriam producit; raro tamen vel nunquam in tam grande ſpatium porrigitur, quod ſex vel ſeptem digitorum latitudinem diametro ſuo expleret. Aliàs autem quo laxiorem in ambitum Annuli ejusmodi circuli diffunduntur, eò minoris eſſe artificii opus nonnulli contendunt, ex adverſo autem quò minorem in orbem eos coactos videre licet, eò majoris & prudentiæ & ſedulitatis conatum eſſe Autores quidam opinantur: cui autem ſententiæ calculus adjiciendus ſit, ut ut difficile videri queat, ex meo tamen judicio ſi deciſio depromenda foret, utriusque Annuli, ſive majoris, ſive minoris, æque difficilem, ſuo modo, elaborationem eſſe, profiterer.

XXII.

Ad *differentiam horum Annulorum* non inconcinnè referendum erit, quod nonnulli quidem Annuli reperiantur, tribus itidem ſe mutuo non contingentibus circulis conſtantes, attamē duobus duntaxat circulis ſe ſine ulla connexione aut contactu ſinuosè permeantibus, tertio autem circulo intra duos illos, ſine flexuoſa aliqua voluminis aut contactûs apparentia, pendulo, inque orbem ſimplicem & nudum circumacto: cujus figuram ab Amico quodam mei & amantiſſimo & ſtudioſiſſimo verbis delineatam proferre licuerit hiſce ger-

manicis

manicis: Ich habe einen Ring gesehen/ da nur zwey Theile zierlich ineinander geschlungen und gewunden/ in selbige aber ein gantz runder Zirckel eingeschlossen gewesen. Enimvero uti ista Annuli species multis parasangis illam, quæ hactenus exposita fuit, post se relinquere videtur, ita profecto satis admirari non queo, tertium circulum, sinu omni destitutum, & ab omni contactu exemtum, ita posse in aëre quasi pendere.

XXIII.

Neque verò cum nostris explicatis hactenus Annulis Trinitariis illi vel comparandi vel confundendi sunt Annuli, qui aliam longe ob causam, nomen pariter sustinent germanicum Dreyfaltigkeitsring/ utpote qui *partim* ab insculpta vel depicta, palæ in loco, superque Annuli plano, S. Trinitatis figurâ, Deo Patre quidem in Viri cujusdam senis dextra globum cœruleum ferentis, Filio in Viri crucem sinistra tenentis, & Spiritu S. sub Columbæ schemate passis alis eorum capitibus imminente, ita sunt denominati, *partim* à commentitia Papæorum Trinitate, nominibus Jesu, Mariæ & Josephi in Annuli superiore parte descriptis, appellationem talem acceperunt. Ut enim taceam, ex alia, quam aurea illos communiter haud fieri materia, profecto fabrica etiam, quæ simplicissima & planissima unius circuli est combinatio, plurimùm ab artificiosa illa & prorsus singulari trium in uno existentium annulorum structura abhorret.

XXIV.

Præterea oblivioni haudquaquam dandus erit ille Annulus, qui nomine quoque S. Trinitatis insignitus, in Coronationibus adhiberi solet Reginarum Galliæ, illius enim de opere licet nondum quicquā constet, utrum nempe vel ex hac, vel ex illa materia, vel isto, vel alio modo elaboratus sit, attamē ob cognominis convenientiā haud indecens fuerit aliqualèm ejus mentionē heic injicere. Nimirum de *Maria Medicea*, Henr. M. conjuge, ac Regina Franciæ & Navarræ, in Fano S. Dionys. A. 1610. d. 13. Mai. coronata, apud Scriptores Gall. memoriæ proditum est: Cardinalem Jousam, sive, de Joyeuse, Annulum in ipso Coronationis *Actu* Reginæ porrigentem, verbis eam compellasse hisce: *Prends l' Anneau de la Foy*, Signacle de la Sainte Trinitè, *par le quel tu puisses eviter toutes malices heretiques, & par la vertu, t' est donnee appeller les Nations Barbares à la cognoissance de la Veritè.* h. e. Accipe annulum Fidei, Signaculum S. Trinitatis, cujus ope poteris evitare

tare omnem hæreticam pravitatem, & ejus virtute tibi datum eſt, omnes gentes barbaras ad Veritatis cognitionem advocare. *J. C. Becmanus* autem *in Syntagm. Dignit. Illuſtr. diſſert. 6. cap. 4. §. ult* generaliter tantum ritûs hujus annularis mentionem faciens, ex *Continuat. Thuan. Hiſtor. lib. 3. fol. 69. collat. cum Ceremon. Franc. part. I. fol. 577.* verbis proſecutus eum eſt hisce: *Cardinalis* Jouſa *accepto Annulo, quem Epiſcopus ipſi porrexit, eum Reginæ digito indidit, recitata ad hanc rem compoſita precatione.*

XXV.

Eburneus Annulus Trinitarius gemino hodie confici ſolet modo: *altero* quidem quando ex integra quadam Eboris particula, mediante torno, Annulus effingitur: *altero*, quando ſcalpri vel cæli alicujus miniſterio idem ille una pariter ex maſſa exſcinditur. Quamvis vero ſciſſionis ſive ſectionis modus facilior eſſe dicatur illo, qui torni ope perficitur, ſingularis tamen cura, attentio & felicitas requiritur ad finem eidem ordinate imponendum, quippe circa quem vel ob cæli ſcalprique aberrationem, vel ob aliam quamcunque cauſam, ruptura annulo illata operam Artificis ſæpe ſæpius ſolet eludere.

XXVI.

Primus ex ebore à dicto illo Zick tornatus Norib. Annulus Trinitarius, ope Legati alicujus Imperial. ibidẽ forte ſubſiſtentis Auguſtiſſimum ad LEOPOLDUM Imp. Rom. Invictiſſimum, cujus Arma juſtisſima Dii porro ſecundent! delatus, Ceimeliarchio Viennenſi illatus adhuc hodie inter res rariores ibidem aſſervatur: Alter autem ei ſimilis Annulus in Electoris Saxoniæ Johann. Georgii III. glor. memor. Technomatophylacium Dresdenſe, Nobili quodam Saxone Noribergam tranſeunte, eumq; commemorato ab Artifice ſibi comparante, pervenit. Quod qualeve autem pretium pro iis exſolutum ſit, ſi forte quis noſſe cuperet, ſciat id longe inferius ingenioſiſſimo inventionis fuiſſe artificio; ſiquidem ſolis XII. Imperialibus primum Annuli eburnei opus tornatum: alterum autem XII. duntaxat florenis fuit redemtum: Artifice nempe ipſo tantillo ſolum & non majore pretio opus adeo rarum tum æſtimante, tum Emtoribus illis licitantibus vendente.

XXVII.

Pretium quo hodie Annuli ejusmodi veneunt, partim ob plures in opifices diffuſam eos elaborandi notitiam, partim ob frequentiorẽ eorundem hinc inde factorum exiſtentiam, levius certe eſt, quam

quod

quod vel curiositatis sitis ad sui restinctionem expetere, vel labor insumtus ad sui compensationem efflagitare videtur. Etenim *ex Ebore*, non quidem tornati, sed quocunque modo excisi, & vel Salisburgo, vel Geislinga, vel Berchtolsgada, pyxidibus plerumque ligneis tornatis inclusi Noribergam delati, nunc 90. cruciferis, nunc unico floreno, nunc paulo pluris, pro emtoris scilicet conditione, solent vendi: *Ex Auro* autem conflati, vel 4. vel 5. vel 6. florenis, pro majore nempe vel minore auri pondere, distrahuntur. Denique *ex Argento* plexi, unius thaleri, aut duorum florenorum, nonnunquam & trium pretio queunt comparari.

XXVIII.

Præter *materiam Annuli* supra jam expositam, ex *plumbo* pariter, *cera*, *stramineve* eum præparari posse, in dubium scio à quibusdam vocari: at vero experientia in subsidium adductâ, patebit, ex recensita modo triplici materia Annulos fuisse tales compositos. Qnamvis *stramen* quod attinet, notandum erit, id ipsum non aliter, quam filis æreis obvolutum, Annulis istiusmodi materiam præbere. Ex *cera* quoque si efficere illos cuiquam placeret, non ex alia, quām quæ juxta regulas Artis probe indurata fuerit, Annuli opus finem consequetur. Ex *plumbo* denique Annuli tales formati, figuram ab Artificis manu ipsis tributam facile ob mollitiem inhærentem aut amittunt, aut immutant.

XXIX.

Quando quæritur, in quantam Annuli ejusmodi diameter extendi queat amplitudinem? Respondendum esse reor, pro materiæ, ex qua conficitur, conditione ac qualitate, nunc dilatari eum posse, nunc coarctari, Nimirum ex filo cujuscunque metalli major diameter, quam ex ebore densissimo & crassissimo, effici potest, siquidem eboris nunquam ejusmodi reperire licet quantitatem, quæ ampliorem aliquam diametrum ex metallicis filis datâ operâ productam, impleret, nedum, superaret. Amplissimum igitur circulum vel annulum talem, ex filis præcipue aureis & argenteis, præsertim materiæ pretiositate non adeo attenta, posse confici, extra dubitationis aleam positum est.

XXX.

Ceterum credibile vix videri posset, nî experientia fidem faceret, tres distinctos hosce & se mutuo non attingentes annulos, non posse tribus distinctis coloribus ita distincte imbui, ut suus cuivis annulo sigillatim illitus color, distincte ab alio juxta posito annulo alioque colore infecto, in circumrotatione annuli posset dignosci: præter-

terquam enim quod ſpiralis in annulo obvia undoſitas, ob ſemicircularem ſui repræſentationem, ex ſæpius interrupta quantitatis ſinuoſæ contemplatione, oculis inſigniter imponit, profecto pluralitas etiam illa colorum haud inepta ad viſus confuſionem gignendam, facile, per & propter angulorum interſtitia, erroris alicujus anſam procreare poteſt: Sicque tum annulum ex tribus ejusmodi quemlibet ſeparatim continuo colore inficere, tum infectum à reliquis ſibi implexis annulis diſcernere, ſi non prorſus factu impoſſibile, dijudicatu tamen erit difficillimum.

XXXI.

Utrum nomen Dreyfaltigkeit Annulo ejusmodi triplicato recte ſit inditum, dubium fateor mihi hactenus ſemper eſt viſum. Enimvero negare licet nolim, compagem ejus ob trium ſine ullo contactu ſibi incumbentium & mutuo ſe permeantium annulorum ex una eademque materia ſatis mirabilem, & à nemine huc usque, quantum quidem ſcio, rationem eſſe indagatam, attamen quam qualemve covenientiam cum Trinitate Perſonarum in Unitate Eſſentiæ Divinæ Annulus talis habeat, perſpicere nondum potui. Etſi enim tres diſtincti annuli, ſine ullo contactu, ex una materia connexi, in unius annuli complexum abeuntes, unicum annulum conſtituant, & unica unius Annuli voce inſigniantur, diviſione tamen, ſeparatione & diſtinctione ſubſtantiali, quin & appellationis annulorum ſeparatim ſumtorum identitate in Annulo illo mirabili obviis, ut jam de materia, ex qua annulus conſtat, nihil dicam, quæ amabo qualisve applicatio fiet ad SS. Trinitatem? Sane uti S. Trinitas non eſt extra Unitatem, neque Unitas extra Trinitatem, ita Trinitas eſt in Unitate absque Subſtantiæ ſeparatione, ſiquidem in Deo nihil diviſibile, aut ſeparabile, aut diverſum eſt, licet diſtinctio Perſonarum detur, aliaque ſit Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Nimirum in Trinitate nulla ſectio aut diviſio, ſed arcana & inperceptibilis eſt communitas & diſcretio: *Non* enim, *Baſilio* alicubi inquiente, *excogitari poteſt ſectio aut diviſio juxta ullum aliquem modum, ut aut Filius ſine Patre mente concipiatur, aut Spiritus à Filio diſtinguatur; ſed arcana quædam ac inperceptibilis tum communitas, tum diſcretio in his comprehenditur.* Quocirca eleganter *Proſper in Epigrammat.*

Quod Pater, hoc Verbum Patris eſt, ſimul hoc utriusque
Spiritus: hic Deus eſt unus, & una Fides.

 XXXII.

XXXII.

Quid quod etiam *Annulus memorialis* ex tribus articulis ſive circulis connexus, nomen videtur mereri Trinitatis. Uti enim Trinitario in Annulo anſam denominationis ex triplicitate circulorũ ſine ullo contactu ſe invicem permeantium unum Annulum conſtituente præcipue deſumtam eſſe conſtat, ita eodem quin jure idem Annulo memoriali nomen poſſit tribui, nullum reor eſſe dubium. Taceo *phyſicos Græcorum Annulos*, quos intus pervios caſſosque fuiſſe, & ἀλεξίφθονον vim habuiſſe, ex hiſtoria colligitur. Vid. *Dalechamp. not. ad Plin. l. 33. c. 1.* Satius ergo, mea quidem opinione, fuiſſet, Annulum illum potius Annulum mirabilem ſine ullo contactu triplicatum, *germ.* Einen dreyfach ineinander / ohne die geringſte Berührung / geſchlungenen Wunderring / quàm Trinitarium, ſive Dreyfaltigkeits-ring / appellaſſe.

XXXIII.

De vario aliàs Annulorum uſu, prærogativis, virtutibus, &c. eleganter non minus ac erudite *Hugo* egit *Grotius in Metrica quadam Annuli Commendatione, Abr. Gorlæi Dactylioth. præmiſſ.* quæ, licet prolixior, ut heic quoque compareat, operæ pretium eſſe putavi:

Annule, *principii nusquam pereuntis imago,*
Et cui vel finis nulla, vel ipſe tibi.
Annule, *qui cœli ſpecie redeuntis in orbem*
Telluris cohibes omniparentis opes:
Annule, *qui rigido lapidem redimite metallo*
Fixa Promethea vincula rupe refers:
Annule, *qui tribuis, quod jus Natura negavit,*
Ingenuosque tuo ſolus honore facis:
Annule, *teſtis opum quo plebs Romana carere*
Cogitur, auguſtus quem ſibi clavus habet:
Annule, *Legati quem ſacra, & Judicis æqua,*
Et ſcutata manus Centurionis amat.
Annule, *quem donant Reges, quem donat Amator,*
Quem fovet in tepido dulcis Amica ſinu.
Annule, *cui commiſſa Penus, commiſſa ſupellex*
Servitii fures non metuêre manus.

An-

Annule, *qui missæ signas arcana Tabellæ,*
Legitimi sacrum pignus & arrha thori.
Annule, *secreti vindex, custodia veri,*
Qui perhibes pactis muneribusque fidem.
Annule, *cui moriens, & villas credit & agros,*
Tutelamque suæ prolis, opesque Pater.
Annule, *qui pestem, fœdumque arcere venenum*
Pectore, qui Philtri crederis esse loco.
Annule, *qui Magicæ non prorsus inutilis arti,*
Cùm tua sidereis est rota picta notis.
Annule, *quo solo si cedit dextra sinistræ*
Fallitur: Armillis est, puto, juris idem.
Annule, *quem minimus digitorum gessit, & Index,*
(Scilicet hîc Achates, hîc Coriannos eras.)
Annule, *quem poscit minimo qui proximus ungui est,*
Eque tuo digitus nomine nomen habet.
Annule, *subtili vis ad præcordia venâ*
Cujus inexplicitâ traditur ire viâ.
Annule, *quem ferro producit & ære Vetustas,*
Optimus, argenti non grave pondus eras.
Annule, *sed cassum cui nunc vix sufficit aurum,*
Tale tamen prisci Læva Dialis habet,
Annule, *qui totos minimo comprendere census,*
Qui pretium fundi claudere parvus amas.
Annule, *qui mistis etiam spectare metallis,*
Unaque quem totum gemma cavata facit.
Annule, *qui Sardâ fulges, qui vinctus Achate,*
Quem decet ex Arabum littore vectus Onyx.
Annule, *Beryllo renitens, viridique Smaragdo,*
Cuique Adamas, & cui fulvus Iaspis adest.
Annule, *qui totos hyberno Sole premebas*
Articulos: pretii cui modus, æstus erat:

Annule, *per lusum cuî mobile dextrà sigillum*
Ventilat, & gemmam vertit in orbe suo.
Annule, *Pyrgoteles duro quem incidere ferro,*
Quemque Dioscoridæ sculpere docta manus.
Annule, *cui scalpro, quæ sæpe incisa figura est,*
Hæc alias cæli munere tuber habet.
Annule, *materies in quo ne sola placeret,*
Sæpe triumphales adjiciuntur Avi.
Annule, *qui Sphingas, qui turpia corpora Ranas,*
Sed tamen & magnos dignus habere Deos.
Annule, *Cæsareos qui fers in imagine vultus,*
(Ah capital Paulo quam prope crimen eras!)
Annule, *qui Gygi Lydorum sceptra dedisti,*
Qui te Perseæ cassidis instar habet.
Annule, *at Euphratis quem contra ripa Seleuco*
Abstulit, & Regni spem dedit esse ratam.
Annule, *qui Samio jactura negata Tyranno,*
Quem miser, heu! nollet non periisse sibi.
Annule, *Cannensis quo sanguinis indice mensa est*
Carthago modiis Romula castra tribus.
Annule, *proscriptor Noni: quo Cœpio Drusum*
Odit: & in Syllam se tulit ira Mari.
Annule, *quem fatum docuit Demosthenis, & quem*
Annibalis, celerem mortis habere viam.
Annule, *quem loculo varium qui condidit uno*
Romulea primus Scaurus in urbe fuit.
Annule, *quo Magni Laurus ditata, Latinus*
Cum Mithridatæas Jupiter hausit opes.
Annule, *quem senis distinctum à Cæsare thecis*
Marmorea genitrix vidit in æde Venus.
Annule, *non unum quem sacra Palatia servans*
Marcello acceptum pulcer Apollo refert.

An-

Annule, *quid fueris (nam non est omnia nostrum*
Dicere,) jam doceat dicere plura sciens.

XXXIV.

Spatium in ista residuum adhuc philyra suppleturo mihi adjicere superioribus placet, Doctrinam de S. Trinitatis mysterio humanæ rationi non penitus repugnare, quippe quam *Innocentius Gentilletus Commentar. de Regno aut quovis Principatu recte & tranquille instituendo lib. 2. p. 177.* utcunque probare est annisus, verbis quidem seqq. Hic mihi propositum est, tantum docere, hanc doctrinam de S. Trinitate rationi & judicio humano non plane repugnare, etsi Philosophi in hæc usq; adyta non penetrarint. Nam vel ex ipsorum placitis constat, Deum, Spiritum esse æternum, infinitum, minimè ullis qualitatibus aut accidentibus obnoxium. Ita quidquid accidentale est, in hominibus (cujusmodi sunt, bonitas, amor, prudentia, & ceteræ qualitates) essentiale est in Deo. His positis, consequitur, infinitam illam & mirabilem sapientiam, qua Deus se ipsum novit, essentiam esse, non qualitatem, in Deo, imò ejusdem cum ipso essentiæ: subsistentiam tamen seu hypostasin ab ipso distinctam: quum Sapiens & Sapientia sine distinctione esse non possint. *Hæc igitur Sapientia, secunda Trinitatis persona est*, quam Scriptura Verbum & Filium vocat. Neque magis à ratione humana alienum est, dicere, *duas in una essentia personas mutuam & infinitam Intelligentiam invicem habere.* Quæ Intelligentia pariter ex utraque persona Patris & Filii procedens, etsi ejusdem cum illis sit essentiæ, non potest tamen unà confundi: quando Intelligens ab Intelligentia distingui debet. *Hæc Intelligentia* tertia persona Trinitatis est, quam Scriptura Spiritum S. vocat. Quum hac rudi descriptione Trinitatis mysterium adumbramus (non secus ac quum Geometræ, tribus vel quatuor lineis carbone in tabella ductis, orbem terrarum òculis subjiciunt,) eam descriptionem ratio humana utcunq; percipit. In eo tamen mysterio excutiendo, longe (meo judicio) magis sapiunt, qui hìc sobriè & moderate philosophantur, & Fidei mensura contenti, nihil ulterius de Dei essentia inquirunt, quàm quod Scriptura docet: quàm qui menti & rationi humanæ nimium indulgent. *Quia tamen mihi negotium cum Epicureis erat, qui Scripturam ludibrio habent, paucis docere volui, vel judicii humani suffragio Doctrinæ nostræ veritatem confirmari.*

XXXV.

Sed quia longius jam non licet evagari, toti huic disputationi Tetrasticho ex *Joh. Cœlio* desumto imponere tandem placet colophonem:

Annulus *ex auro factus* Germania *si sit*,
Noridos *Vrbs* Gemmam *jure referre queat*.
Annulus *ergo* sit illa, sit hæc *pulcherrima* Gemma,
Cæsar *& in digitis floreat illa tuis!*

cujus Tetrastichi non tantum, sed Annuli etiam Trinitarii ad animum revocatione, versiculos, incomtos licet, sincero tamen ex animo profectos, libet ad extremum proferre seqq.

Annulo in uno ut sunt tres Annuli eburnei, in una
Sic triplex viget & Noridos Urbe Salus:
Nempe Chorusq́, Forumq́, Torus, sunt Annulus Urbis
Noridos, Annulus hinc sic ea Gemma & erit.

IN te sic *pietas, doctrina, modestia*, KERNI,
Annuli in unius tres velut orbe latent:
Annulus hic triplex tibi triplex *Prosperitatis*,
Atque *Favoris*, item pandat *Honoris* iter!

Quorum intuitu,
Præstantissime KERNI,
recordabere Præsidis tui,
qui
tibi fausta omnia ex animo apprecatur,
atq́ simul te
Bonis omnibus & Literarum Fautoribus
optime commendat,

DAN. GVIL. MOLLERI.